

Hebraica quae supersunt carmina in scholis quum interpreta-  
rer, saepenumero aegre tuli, quod discipulis non essent libri,  
quales Graecorum et Latinorum poetarum habemus doctorum  
hominum studiis editos atque perpetua quam dicunt interpreta-  
tione explanatos. Accedebat, ut qui in accentibus masorethicis  
dignoscendis minus essent versati, quoniam vocabula uno tenore  
descripta sunt, in recitandis illis saepe errarent: iis autem qui  
veram singulorum hemistichiorum sententiam rationemque cupe-  
rent perspicere, multo maiores difficultates existerent eo, quod  
nullo propemodum in singulis quidem versibus discrimine facto  
impedirentur maxime, quominus quae coniungenda, quae sepa-  
randa essent, recte intelligerent. Denique qui feruntur V. T.  
commentarii omnes fere immensum volumen habent, eaque pe-  
cunia constant apud bibliopolas, quae non facile parari potest  
ab iis, qui in Hebraicis literis studia sua ponunt. Cuius rei  
ut copiam facerem discipulis, oblata hac scribendi opportunitate  
carminum Hebraicorum qui psalmi vocantur unum et alterum eo  
quo dixi modo edenda curavi, quibus deinde, si operae pre-  
tium fecisse visus fuero, etiam alia addere in animo est. In  
qua re ita versandum putavi, ut primo docerem, quae de inge-  
nio poesis Hebraicae omnino scire eorum interesset, tum de  
psalmis potissimum, de auctoribus, de inscriptionibus horum  
carminum, de parallelismo membrorum qui dicitur aliisque id ge-  
nus rebus, ut quaeque memoratu digna visa erit, dicerem. Scr.  
Zwiccav. Id. Februar.